



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. IV. Solvuntur argumenta allata §. primo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

diff. 1. an. 29. licet enim dicat, quod si de propositione falsa scandalosa in genere loquamur, verum sit, posse aliquid esse scandalosum, & verum; attamen loquendo de Decreto Pontificio, intelligi non potest, quomodo opinio possit esse scandalosa, quin sit falsa. Ratio est: quia opiniones damnatae sunt scandalosae per modum regulae dirigentis mores nostros sine ullo salutis periculo; regula autem vera, & conformis rectae rationi non potest esse scandalosa; ergo si est vera, non est scandalosa, & si est scandalosa, non est vera. Rursus: quia, inquit, omnes damnatae sunt practice improbabiles, & quidem aliquae damnantur expresse, quia antecebat probabilitatem, reliquae vero per evidentem consequentiam trahunt improbabilitatem: sed improbabilitas practica, trahit secum practicae falsitatem: ergo, &c. Similiter, quia damnantur, ut in praxi perniciosae: sed pernicies timeri non potest ex eo, quod Fideles assentiantur doctrinis veris, immo ex eo, quod falsis, apparenter veris: ergo si sunt perniciosae, sunt falsae. Demum addit, quod magna deceptio sequeretur in tota Ecclesia, si Fideles acquiescendo Decretis Pontificiis precipientibus, & quidem sub excommunicatione, ne quis disputet, aut practicet, & unice permittentibus earum impugnationem, obediendo Pontifici impugnarent verum: ergo ne hoc dicatur, omnes damnatae sunt falsae. Alia plura P. de la Fuente. Tertiò confirmo ex doctrina supra allata, & eam tradit P. Ripald. tom. 3. d. 1. n. 9. & n. 58. & d. 2. n. 19. quia omnis doctrina ex objecto scandalosa includit intrinsicè falsitatem, ex qua oritur scandalum, ad differentiam propositionis ex ignorantia scandalosae: rursus idem P. Ripald. tom. 3. d. 1. n. 49. ait: Post latam ab Ecclesia aliquam censuram contra aliquam opinionem, damnando eam, ut temerariam, aut scandalosam, aut improbabilem, ea opinio redditur haeretica, aut erronea, quia fit opposita iudicio infallibili Ecclesiae; nam, ut bene advertit P. Suar. de Fide d. 19. sect. 2. censura Theologica supponit in proferente iudicium falsitatis, & addit gradum malitiae, & qualitatis nocivae fidei: ergo Ecclesia censens aliquam doctrinam esse temerariam, scandalosam, aut improbabilem, censet etiam esse falsam, & qui eam docet ut veram, contradicit iudicio Ecclesiae. Verum quidem est, posse opinionem esse temerariam simul, & veram; attamen hoc non contingit in iudicio infallibili Ecclesiae; doctrinam enim, quam Ecclesia censet temerariam, est re ipsa falsa; & hoc est discrimen

Tom. I.

inter iudicium infallibile Papae, & iudicium fallibile aliorum Doctorum, quod doctrina, quam Ecclesia iudicat temerariam, est re ipsa falsa, quia ejus iudicium est infallibile; doctrina autem, quam alij Doctores iudicant temerariam, potest esse vera, quia eorum iudicium est fallibile. Lege P. Rip.

Secundo probatur: quia, vel verum est licere, quod Papa dicit non licere, vel non est verum? Si non est verum; ergo est falsum *licere*, quod Papa dicit non licere, & sic habeo intentum: si est verum *licere*, quod Papa dicit non licere; ergo Papa errat: similiter sumo opinionem asserentem probabilitatem purè speculativam, ex. gr. probabile est sufficere ad prudenter operandum tenuem probabilitatem; & ita arguo: Vel est probabile, quod Papa dicit non esse probabile, vel non est probabile? Si non est probabile; ergo non est probabile, quod Papa dicit non esse probabile, & sic habeo intentum: si est probabile; ergo Papa damnans opinionem ut scandalosam, quia asseritur probabilis, errat. Confirmo: Si unum ex contradictorijs est certò verum, aliud est certò falsum: *licere, non licere*, sunt contradictoria: ergo si certò verum est non *licere*, certò falsum est *licere*; aut e contra, si est certò falsum *licere*, est certò verum non *licere*.

Tertiò probatur: Quod caret fundamento gravi, & nihil certum contra se habet, illud est negativè improbabile, id est, non est probabile; quod autem aliquid certum contra se habet, illud est positivè improbabile, seu certò falsum: sed omnis damnata à Papà ut scandalosa, habet contra se certum de ejus probabilitate Papae iudicium; eatenus enim opinio damnata est scandalosa, quatenus asserit *licere*, vel *esse probabile*, & seclusis his particulis, non esset scandalosa: ergo omnis damnata à Papà ut scandalosa, est certò improbabilis, seu certò falsa. Confirmo: Opinio, cujus probabilitas, & licentia certò desperatur, est certò repugnans probabilitati, & licentiae: sed opinio damnata per certum, & perpetuum Papae iudicium, quia asserta probabilis, & licita, est opinio, cujus probabilitas, & licentia desperatur: ergo est certò repugnans, pro omni tempore futuro, omni probabilitati, & licentiae: ergo numquam potest esse vera, sed est, & erit certò semper falsa.

§. IV.

Solvantur argumenta allata §. primo.

S U M M A R I U M.

Quid sentiam de DD. oppositis? n. 116.

F iij

Propo-

Propositio vera revelans crimen occultum est scandalosa, ex ignorantia, n. 118.

Etsi verum, & scandalosum uniri possint, non tamen in damnata, n. 119. &c.

Quid scandalum? n. 121.

Innocentius unice vetat, ne non damnata inter TT. controversa censurentur, ibid.

Vetatur lectio, & impressio Scripturae vulgari idiomate, n. 123.

Omne sive stringat, sive laxet, si sit occasio ruinae, est scandalosum, n. 124.

Damnata, quia practice probabiles, sunt hodie practice falsae, n. 125.

Nimis stricta, quia augent obligationem, damnantur, ibid.

Dictum in modali, nec affirmatur, nec negatur, n. 127.

Ideo damnata fuere ut scandalosa, quia docebantur, ut morum regula, n. 128.

Damnata ut scandalosa carent probabilitate, quam praeferebant, n. 129.

Tam evidentia, quam certitudo tollit probabilitatem, n. 130.

Papa vetat, ne minus pia censeretur, ibid.

An improbabilitas sit censura Theologica? DD. ib.

DD. asserentes minus piam de Conceptione esse improbabilem, ibid.

Num Papa doctrinam in re falsam declarare possit probabiliorem? n. 132.

N. **A**D primum respondeo: Eo ipso quod
116. P. Moya l.c. n. 50. asserit repugnare,
P. Moy. ut opinio damnata, ut scandalosa ex se, &
ut opinio aequivoca, sit practice vera, seu
practice probabilis; & eo ipso, quod Lumb.
& Torrec. dicunt omnes damnatas esse practice falsas, eo ipso dicunt ex parte, quod
nos, non tamen bene dicunt, quod nos: dicunt ex parte, quod nos; nam nos etiam dicimus opiniones damnatas ut scandalosas, etsi praferrent probabilitatem practicam, esse practice falsas: non bene dicunt, quod nos; nam dicti Authores ad quaestionem, an propositio damnata a Papa ut scandalosa, sit eo ipso falsa, negant absolute, cum tamen, vel deberent absolute affirmare, nam hoc ipsum deinde affirmant; vel deberent distinguere, affirmando esse falsas de probabilitate practica, non autem de speculativa. Quod si hoc dicant, falsum dicent, quoad
N. 117. probabilitatem speculativam, & ideo dixi eos dicere ex parte quod nos; nos enim volumus, omnes esse falsas falsitate opposita probabilitati, aut veritati assertae in damnata: si probabilitas asserta in damnata sit practica, dico damnatam esse practice falsam; si sit speculativa, dico esse speculative falsam: ergo, cum omnis damnata

fit damnata ut scandalosa, & praferat probabilitatem aliquam, sive pure practicam, sive pure speculativam, sive mixtam, omnis damnata erit absolute falsa, vel falsitate practica, vel speculativa, vel utraque. Secundo respondeo, propositionem veram non
118. posse esse scandalosam, nisi ex ignorantia, aut errore: propositio, qua quis de viro gravi affirmat verum, sed occultum, crimen, est scandalosa ex ignorantia, nam totum scandalum oritur ex eo, quia audiens illud crimen, illud ignorabat, immo forte ex errore putabat dictum virum gravem esse innocentem: similiter propositio, quam quis, quia ex ignorantia fundamenti gravis pro ejus reali veritate, putat non esse probabilem, aut ex errore putat omnino improbabilem, est etiam scandalosa, licet sit vera in re, attamen totum scandalum oritur ex veritate illius ignorata, immo ex errore de ejus improbabilitate, cum in se sit vera. Cum N. autem in Pontifice ex Cathedra declarantem ignorantia cadere non possit, consequenter respectu Pontificis nulla potest esse vera, & scandalosa; nulla scandalosa, & vera. Ratio est: quia implicat, ut doctrina morum revocans a perditione, & ducens ad vitam, sit doctrina revocans a vita, & ducens ad perditionem, nisi ex ignorantia fundamenti dictae doctrinae: sed doctrina morum vera revocat a perditione, & ducit ad vitam; doctrina scandalosa revocat a vita, & ducit ad perditionem: ergo implicat, ut doctrina morum sit vera simul, & scandalosa, nisi ob ignorantiam: sed ignorantia non cadit in Papam declarantem ex Cathedra materiam morum: ergo eo ipso quod Papa declarat talem opinionem esse scandalosam, implicat, ut sit doctrina morum vera. In forma distinguo antecedens: scandalum opinionis non connectitur cum falsitate opinionis, si scandalum non oriatur ex ignorantia judicantis, nego antecedens; si oriatur, concedo antecedens: cum igitur scandalum declaratum a Papa insitum tali opinioni, non oriatur ex ignorantia, sed ex assensu Spiritus S. qua Papa penetrat naturam opinionis; consequenter omnis opinio declarata a Pontifice, ut scandalosa, necesse est, ut non tantum non sit probabilis, sed est certo falsa, vel practice, vel speculative juxta naturam veritatis assertae in damnata. Ratio primi est: quia implicat, ut, quod est ex objecto, & non ex mera ignorantia scandalosum, sit probabile; omne enim certo probabile est licitum, & honestum, quantum est ex se: ergo nullum certo scandalosum est probabile, seu licitum, & honestum.

honestum. Ratio secundi est; quia eo ipso quod Papa declarat aliquid esse scandalosum, est certo tale: sed omne certo scandalosum, est certo improbabile, seu illicitum, adeoque certo falsum quoad probabilitatem, aut veritatem assertam: ergo, &c. Ad do, ut dixi, damnatas esse scandalosas, quatenus tradebantur, ut regulæ dirigentes recte mores nostros absque ullo salutis periculo; Papa autem declarat esse perniciosas, adeoque periculosas, & obliquas: ergo est certum eas non esse practicæ veras, seu rectas morum regulas.

N. 120. Ad utramque confirmationem patet ex dictis; unice enim probant, ut bene P. de la Fuente n. 29. verum, & scandalum posse in genere uniri, non autem probant posse uniri in opinione damnatâ à Papâ, ut scandalosâ; eo enim ipso quod talis sit, non est vera morum regula, immò implicat, ut sit vera morum regula.

N. 121. Dices: Scandalum est dictum, aut factum minus rectum, ubi non dicitur dictum, aut factum *malum*, sed *minus rectum*: ergo ad rationem scandali satis est apparentia mali in dicto, aut facto: ergo sicut in bono facto potest dari apparentia mali generans scandalum; ita etiam ex dicto vero habente apparentiam mali, potest sequi scandalum: ergo veritas potest conjungi cum scandalo.

Sed contra primo: quia cum Lamb. & Torrec. admittant damnatas, ut scandalosas, esse practicæ falsas, tenentur solvere argumentum, quomodo omne damnatum à Papâ ut scandalosum, sit practicæ falsum. Secundo; quia exempla adducta de frequenti viri boni ingressu ex bono fine ad mulierem bonam, & de convictu Ecclesiastici cum adolescentulâ, vel non sunt ad rem, vel contra Adversarios: non sunt ad rem, quia ea exempla eatenus scandalum generant, quia habent mali apparentiam ratione alicujus circumstantiæ: sed doctrina morum vera, licet respectu cujusque hominis, qui non sit Pontifex, possit ex ignorantia habere mali apparentiam, adeoque esse scandalosâ ex ignorantia, non tamen respectu infallibilis iudicii Pontificij: ergo implicat respectu iudicii Pontificij talem opinionem esse veram in materiâ morum, & simul esse scandalosam. Sunt contra Adversarios; fac enim ut videntes frequentem viri probi ad foeminam ingressum, noverint optimum finem, & necessitatem, quâ Religiosus ducitur; utique talis ingressus non esset scandalosus; ergo si est, est tantum, quia ignoratur finis bonus, & necessitas. At numquid in Pontificem cadet ignorantia naturæ opinionis

damnatæ, ita ut, si est practicæ vera, possit eam damnare, ut practicæ scandalosam, si est speculative vera, possit eam damnare, ut speculative scandalosam?

Ad secundum respondeo, Innocentium prohibere tantum, ne opiniones non damnatæ, sed adhuc inter Theologos controversæ, censurentur, & merito; de quo plura scitu digna dabit P. Ripald. tom. 3. contra P. Baium d. 1. sect. 6. & 7. fufè: sed nos loquimur de damnatis *ad minimum*, ut scandalosis: ergo licet censurari possunt aliâ etiam censura, præter eam, quâ Papa eas censuravit. In formâ respondeo, quod qui diceret aliquam damnatam à Papâ ut scandalosam, diceret non tantum quid scandalosum, sed etiam quid certo falsum, falsitate practicâ, aut speculativâ, pro mensurâ veritatis practicæ, aut speculativæ per damnatam auctoritatem. Ratio, ut dixi, est; quia ex certo iudicio Pontificis de scandalo talis opinionis assertæ, ut probabilis, inferitur certitudo de non probabilitate, immò de improbabilitate, adeoque de falsitate speculativâ, vel practicâ ejus opinionis; nam omne certo scandalosum, quia assertum probabile, est certo non probabile, immò improbabile.

Dices certum esse, quod doctrina vera N. potest interdici, quatenus perniciofa; ita 123. Divina Scriptura in vulgare idioma translata, est interdicta, quia plures sumpserunt occasionem ruinæ. Respondeo non esse interdictam Scripturam, sed impressionem, & lectionem illius vulgari idiomate esse vitiam; immò etsi Scriptura esset verita, (quod repugnat) nil inde contra nos; non enim dicimus, quod omne prohibitum sit falsum, sed quod omne in materiâ doctrinæ declaratum à Papâ intrinsecè scandalosum, sit falsum.

Ad tertium respondeo: Sicut omne declaratum à Papâ, ut certo scandalosum, est certo falsum, ita omne declaratum à Papâ, ut certo falsum, est scandalosum, siue talis falsitas laxet, siue stringat conscientiam, dummodò sit occasio perditionis; etsi communiter sola falsitas in materiâ morum, quæ laxat conscientiam, & nimis favet libertati contra legem, & ducit per viam latam, non autem, quæ favet legi, dici soleat scandalosâ; reverâ tamen non video, cur dici non possit scandalosâ doctrina, quæ nimis stringit conscientiam, nam est causa desperationis, & perditionis, & multiplicat peccata, ut dixi n. 93.

Ad quartum, & ejus confirmationem patet ex dictis: si scandalosâ est talis ob probabilitatem practicam assertam per damnatam, eo ipso ea scandalosâ est practicæ improbabilis,

Alex.
VII.
Innoc.
XI.
Alex.
VIII.

bilis, seu practice falsa; si autem est talis propter probabilitatem speculativam assertam, eo ipso ea damnata, ut scandalosa, est speculative falsa. Pateor tamen ferè omnes damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. (& aliquas ex damnatis ab Alexandro VIII.) loqui de probabilitate practica; immò etiam illas, quæ primà fronte præferunt probabilitatem purè speculativam, diriguntur ad praxim, nempe, vel ad tollendam obligationem, vel ad reddendum licitum, quod est illicitum, immò ad augendam obligationem, qualis est *tertia* ex damnatis ab Alexandro VIII.

N. 126. Dices: Ergo non omnes damnatæ, ut scandalosæ, sunt speculative falsæ: ergo possunt esse speculative veræ, & practice falsæ. Concedo primam consequentiam, nam scandalum eam tantum tollit probabilitatem, ex qua scandalum sequitur: ergo si in damnatâ scandalum oriatur ex pura probabilitatis practice affirmatione, damnata erit tantum practice falsa. Ad secundam dico, scandalosas damnatas, ut assertas imprudenter speculative veras, esse speculative falsas; at quia omne speculative falsum, est etiam practice falsum; hinc omnes damnatæ, quia speculative falsæ, sunt etiam practice falsæ; damnatas autem, quia practice veras, dico esse tantum practice falsas. An autem damnatæ, putatæ practice veræ, sint non tantum practice, sed etiam necessario speculative falsæ? Dico, quod non; tum quia scandalum tunc non oritur, nisi ex veritate practica assertâ in damnatâ, non autem ex veritate speculativâ, quam damnata non asserit; tum quia non omne practice falsum est etiam speculative falsum; esto omne speculative falsum sit etiam practice falsum: ergo damnata, quia speculative falsa, est etiam practice falsa; damnata, quia practice falsa, non est necessario speculative falsa. Vid. *Notat. 5.*

N. 127. Ad quintum nego minorem; quia in modali una tantum est veritas, & falsitas, ut dixi, & dictum nullam habet veritatem, vel falsitatem præter illam, quam habet modus. Addo hoc argumentum, præter hoc quod peccat in Logicam, quia putat dictum affirmari, aut negari seorsim à modo, non esse ad rem, quia hic non examinatur, an propositio de inesse, seu dictum damnatæ sit verum, sed an propositio de modo sit vera simul, & scandalosa; nam Papa damnat eas, ut *jacent*, sed ut *jacent* sunt modales, ergo damnat, ut modales; eo modo, quo Papa damnans, ut hæreticam hanc propositionem, *Libertum est revelare omne verum, tò hæreticum*

cadit supra *licitum*, non autem supra *verum* seorsim à licito, quia nullum verum est hæreticum.

Dices, damnatas non esse in se scandalosas, alias qui interius illis assentiretur, assentiretur opinionibus scandalosis; sed hoc est falsum, quia scandalum fundatur in aliquo exteriori, & ideo Papa non vetat assensum interiore damnatarum, sed tantum, ne doceantur, & practiceantur. Respondeo damnatas esse in se scandalosas, quia tradebantur, ut tunc morum regulæ, & ideo qui alicui ex illis assentiretur, opinioni scandalosæ assentiretur. Ad probationem fatcor scandalum in actu secundo fundari in exteriori. Ad id, quod additur, dico, quod Papa, absolute loquendo, solas externas propositiones declarat esse scandalosas; internas autem declarat esse tales sub conditione, quod exterius tradantur, aut practiceantur; atque adeo damnatæ sunt in se scandalosæ sub conditione, quod exterius proferantur, seu habeant omnia, quæ scandalum includit; sunt itaque damnatæ scandalosæ in se in actu primo; si autem exterius practiceantur, sunt tales in actu secundo. Ratio est; quia damnatæ tendunt in objectum, quod potest gignere scandalum, etsi interius tantum prolata illud non generent; eo modo, quo volitio efficax furandi dicitur furtum, quatenus tendit in furtum, etsi illud non compleat.

N. 129. Ad sextum respondeo damnatas, ut scandalosas, non tantum non esse amplius probabiles, sed esse improbables improbabilitate oppositâ probabilitati per damnatam assertæ. Ratio est; tum quia sicut quod caret fundamento, non est probabile, ita quod habet contra se principium certum, est improbabile; omnes autem damnatæ, ut scandalosæ, modo carent omni fundamento, & habent contra se iudicium certum enervans omnem spem probabilitatis futuræ; tum quia omne declaratum, ut ex se scandalosum, est ex se illicitum; omne certò illicitum, est certò improbabile: ergo omne declaratum certò ex se scandalosum, est certò improbabile. Ad confirmationem dico, propositionem veram, & scandalosam ex eo, quia later fundamentum pro ejus veritate, esse ex ignorantia, non ex objecto scandalosam; quæ autem est ex ignorantia scandalosa, non est certò falsa, immò potest esse vera; non ita quæ est certò scandalosa ex objecto, hæc enim est certò falsa.

N. 130. Ad septimum nego maiorem; nam probabilitas potest excludi, tum per evidentiam oppositi, tum per certitudinem oppositi. Ad probationem, nego Papam damnantem, ut scandalosas, non derogare earum proba-

probabilitati. Ad paritatem dico, Papam non declarare opinionem minus piam tantum pro peccato Deipare esse improbabilem, aut esse probabilem, nam unice prohibet, ne quis eam opinionem minus piam censuret: sed improbabilitas non est censura Theologica, ait Cardin. de Lugo, & P. Hurt. de Mendoza d. 81. de Fide §. 46. & P. Carden. tom. 1. d. 9. cap. 18. art. 4. & ego infra, & interim legi potest P. Ripald. tom. 3. d. 1. n. 87. opiniones enim strictissimæ sæpe sunt improbabiles, nec tamen sunt damnatæ: ergo, qui dicit, ut recte de facto dicunt P. Suar. P. Justinianus, & alij, quos citat, & sequitur P. Card. art. 4. opinionem minus piam non esse probabilem, sed improbabilem, non contraveniret Decreto Alexandri VII. Ad confirmationem, nego antecedens cum P. de la Fuente l. c. n. 34. Card. de Lugo d. 20. de Fide n. 115. & Diana de Infalib. Pont. p. 11. resol. 10. & alij; si propositio sit in materia fidei, & morum, & loquatur ex Cathedra, quia Papa non decernit ex ignorantia, ut sæpe DD. privati, sed ex assistentia Spiritus S. à quo dirigitur, ut cognoscat res, ut in se sunt, non ut nobis sæpe apparent.

N. Ex his infer, me non capere, quod dicit 131. P. Card. tom. 1. d. 1. n. 142. ubi negat, quod P. Card. propugnans aliquam ex damnatis diceret aliquid erroneum, aut errori proximum; ait enim, quod qui diceret hanc damnatam, Licet furari in gravi necessitate, non diceret Papam errare, quia licet ob dictum Papæ sit certum illud esse illicitum, attamen Papa hoc dicit tantum probabiliter, ita ut sit probabiliter certum illud esse illicitum: simile docet n. 187. contra Lumbier. Verum non video coherentiam; quia vel est tantum probabiliter certum Papam non errare, & illud esse illicitum, vel est omnino certum? Si secundum, habeo intentum: ergo qui diceret damnatam, diceret saltem quid erroneum, aut errori proximum, quatenus diceret tale objectum non esse illicitum, adeoque Papam errare. Si primum, sequitur primò, quod sicut, si esset certum (ut per me est) Papam non errare, qui diceret dictam damnatam, doceret certò quid erroneum, aut errori proximum; ita si est tantum probabiliter certum, docens damnatam, dicit quid probabiliter erroneum, aut errori proximum. Secundò, quia quod est probabiliter tantum de fide, non est necessariò credendum, immò respui potest, quia potest etiam esse probabile, non esse de fide: ergo etiam, si est tantum probabile Papam non errare, & furtum in gravi necessitate non

esse illicitum, nemo certò obligabitur abstinere ab eo tamquam illicito, immò probabile esse poterit, quòd tale furtum sit licitum. Tertio, quia etiam per P. Card. est certum Papam in nullà morum decisione errare; sed hæc, Non est licitum furari in gravi necessitate, est decisio in materia morum: ergo in hac non errat: ergo qui docet oppositum, docet quid erroneum, aut errori proximum; nam vel negat minorem, quæ est evidens, vel maiorem, quæ si non est de fide, (ut esse docui) saltem est proxima fidei, ut alij docent. Hinc optime P. de la Fuente disp. 1. qu. N. 6. a n. 32. ubi querit, an Papa possit favere doctrinis re ipsa falsis, declarando eas toti Ecclesie, ut probabiliores; (nam ut veras Fuent. non potest) hoc negat cum Card. de Lugo a c. de n. 113. deinde addit, quòd qui assentiretur propositioni contradictoriæ affirmanti opinionem scandalosam, aut erroneam esse veram, non tantum esset præsumptivè hæreticus, seu mediatè, sed etiam formaliter. Vide illum.

SECTIO IV.

An omne antecedens, ex quo inferitur damnata, & omne consequens, quod inferitur ex damnata, sint antiquata, seu certo falsa?

SUMMARIUM.

Quid antiquata; quid damnata? n. 133. 134. Status questionis, ibid.

Omnis contradictoria damnata est certò vera, n. 135.

Cum si una ex contradictorijs est probabilis, non ea ipsa opposita est improbabilis: si autem una est certò improbabilis, alia est certò vera? n. 136.

Omnis, ex quâ evidenter inferitur damnata, est antiquata, n. 137.

Omne consequens evidenter illatum ex contradictoria damnata est certò verum, n. 138.

Non omne consequens evidenter illatum ex damnata, est certò falsum, sed aliquando verum, n. 139.

Solus, qui hanc questionem movet, est N. P. Card. tom. 4. disp. 1. cap. 14. quique cum P. de la Fuente palmam, me iudice, non tantum in discussione opinionum damnatarum, sed etiam in disquisitione eorum, quæ ad exactæ discussionis notitiam necessaria sunt, plerisque eripuit. Breviter autem hanc questionem expediam, cum tota resolutio à Dialecticæ regulis petenda sit. Duo autem præmittenda mihi sunt. Primum est discrimen inter damnatam, & antiquatam; Damna-